



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

VII. De triplici utilitate Adventus Domini.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

*Necessitas ad-  
ventus Christi.* **S**I devotè celebramus Adventum Domini, id facimus, quod oportet: Si quidem non modò ad nos, sed propter nos venit, qui bonorum nostrorum non eget. Verùm nostræ quidem indigentia quantitatè manifestius ipsa dignationis eius indicat magnitudo. Nec modo periculum ægritudinis ex ipso pretio medicaminis innotescit: sed & valetudinum \* numerus ex multitudine remediorum. Ad quid enim divisiones gratiarum sunt, si non videtur necessitatum ulla diversitas? Et quidem difficile est universas uno sermone prosequi indigentias quas experimur: sed occurrunt mihi interim tres communes omnibus & quodammodo principales. Nemo enim reperitur in nobis, qui non interim, & consilii, & auxilii, & præsidii indigus videatur. Nimirum generalis est humano generi miseria triplex: & quotquot degimus in regione umbræ mortis, in infirmitate corporis, in loco tentationis, si diligenter advertimus, triplici hoc incommodo miserabiliter laboramus. Nam & faciles sumus ad seducendum, & debiles ad operandum, & fragiles ad resistendum. Si discernere volumus inter bonum & malum, decipimur: si tentamus facere bonum, deficimus: si conamur resistere malo, dejicimur & superamur.

*Triplex hominum miseria seu indigentia.*

*Huic remedium adfert triplex Domini adventus seu presentia.*

*a Rom. 8. f*

Necessarius proinde Salvatoris adventus: necessaria sic præoccupatis hominibus præsentia Christi. Atque utinam sic veniat, ut copiosissima dignatione sua, & in nobis per fidem habitans illuminet cæcitatem nostram, & nobiscum manens adjuvet infirmitatem nostram, & pro nobis stans fragilitatem nostram protegat & propugnet. Si enim ille in nobis, quis iam decipiat nos? Si ille nobiscum, quid de cætero non possumus in eo qui confortat nos? Si ille pro nobis, quis contra nos? Fidelis consiliarius est, qui neque falli omnino nec fallere queat: fortis auxiliarius, qui non lassescat: patronus efficax, qui & ipsum Satanam sub pedibus nostris velociter conterat, & omnia eius machinamenta confringat. Nimirum ipse est Dei sapientia, cuius sapientia in promptu sit instruere ignorantes: ipse Dei virtus, cui facile sit & deficientes reficere, & eripere periclitantes. Ad hunc ergo tantum eruditorem, Fratres mei, in omni deliberatione curramus: hunc tam strenuum adiutorem in omni operatione invocemus: huic tam fido propugnatori in omni collocatione committamus animas nostras: qui ad hoc ipsum venit in mundum, ut habitans in hominibus, cum hominibus, pro hominibus, & tenebras nostras illuminaret, labores levaret, & pericula propulsaret.